



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus De Obligationibus Specialibus Certorum Statuum, De
Sacramentis In Genere, Et In Specie, Et De Censuris Et Irregularitatibus

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, MDXXXIV.

VD18 90392167

Cap. I. De Censuris in Genere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41032

conjugi debitum reddat affectu conjugali, non
 monitâ comparte de nullitate Matrimonii.

Verum cum hæc difficilia & dubia sint,
 Confessarius ex Confessione deprehendens
 pœnitens contraxisse cum impedimento diri-
 mamente, quòd invincibiliter ignorant, non
 debet eos de eo admonere, quin prius sciat id
 posse fieri sine periculo gravis incommodi,
 scandali, vel peccati respectu illorum, ex c. 6.
de consang. in his autem & aliis gravibus diffi-
 cultatibus consulendi sunt viri docti, sed præ-
 fertim Episcopus loci.

Porrò eadem est ratio convalidandi profes-
 sionem nullam, quæ Matrimonium.



TRACTATUS.
 DE CENSURIS
 ET
 IRREGULARITATIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Censuris in Genere.

Q. I. Quid est Censura?

Resp. Q Est pœna Ecclesiastica medica-
 lis,

Oo 4

lis, privans primariò bonis quibusdam spiritualibus dispensationi Ecclesiæ commissis.

Dicitur. 1. *Pœna*, quia semper supponit culpam: nam rem quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit, c. 2. de constit.

2. *Ecclesiastica*, quia ferri potest à sola potestate Ecclesiastica, cum sit privatio bonorum spiritualium, quæ Laici non habent in sua potestate, nec proinde auferre possunt.

3. *Medicinalis*, ex c. 1. de sentent. excom. in 6. quia fertur ad avertendum, & revocandum hominem à peccato. Quare Censura ex intentione Ecclesiæ non est perpetua, ut depositio & degradatio, quæ sunt pœnæ merè vindicativæ; sed tolli debet à Superiore, cum reus se emendavit & satisfecit.

4. *Privans bonis*, &c. ut sunt publica Ecclesiæ suffragia, jurisdictio spiritualis, & ejus usus. Beneficia, Sacrificium, Sacramenta: non item habitus virtutum infusi, gratia sanctificans, character, potestas Ordinis.

5. *Primariò*, nam secundariò privat bonis quibusdam temporalibus, putâ fructibus Beneficii, & societate fidelium etiam in civilibus: sed per ordinem ad bonum spirituale, ut sic faciliùs & promptiùs resipiscant, & ad debitam obedientiam efficacius revocentur.

Q. 2. *Quotuplex est Censura?*

Resp. Censura I. Dividitur in Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum, c. 20. de verbor. signific.

2. Alia

2. Alia est à Jure, alia ab homine. Censura à Jure est ea, quæ per legem vel statuta perpetuum lata est: unde in Canonibus, decretis Pontificum, vel Statutis Episcoporum continetur. Censura ab homine est ea, quæ fertur ab aliquo singulari Superiore, per præceptum transitorium, vel sententiam judicariam: estque vel generalis, quæ generatim & indeterminatè fertur in aliquos, v. g. in Clericos; vel particularis, quæ fertur in certam ac determinatam personam. Censura à jure non cessat morte legislatoris: at Censura ab homine expirat morte Superioris, aut ejus amotione, si eveniat antequam contrahatur; sed jam contracta manet post ejus mortem, donec tollatur per absolutionem.

3. Alia est latæ Sententiæ, alia ferendæ. Prior est, quæ contrahitur ipso facto, seu sola culpæ admissione, absque ulla Judicis sententia. Posterior est ea, quæ non contrahitur, nisi accedente sententiâ Judicis, & vocatur comminatoria. Pro quibus dignoscendis consideranda sunt verba, quibus fertur Censura.

Censura est latæ sententiæ, si adhibeantur hæ voces, *ipso facto, ipso jure, ex tunc, ex nunc, statim, illico, continuo, confestim, mox, protinus, latæ sententiæ, &c.* vel si verba sint præsentis temporis, indicativi modi, v. g. *excommunicamus, suspenduntur, interdicuntur.* Vel præteriti temporis, v. g. *excommunicatus est; volumus esse excommunicatum, suspensum; noverit se excommunicatum, suspensum.* Item si verba sint

imperativi modi, nec dirigantur ad iudicem, nec ejus actionem exigant, ut *subjaceat excommunicationi, incidat in excommunicatione; maneat suspensus, interdictus; habeatur pro excommunicato; sit excommunicatus, suspensus, &c.*

Censura est ferendæ sententiæ, si feratur per verba, quæ iudicis actionem exigant, vel significant, ut *excommunicetur, suspendatur, ab Ecclesiæ ingressu arceatur, decernimus excommunicandum, suspendendum, &c.* Item si verba sint futuri temporis, v. g. *excommunicabitur, suspendetur; vel minatoria, ut sub pœna excommunicationis, suspensionis, sub interminatione anathematis, &c.* nisi ex adjunctis aliud colligatur, vel ex aliquibus verbis additis, ut si dicatur, *sub pœna excommunicationis statim incurrendæ, vel cui statim, confestim, omnino subjaceat.* In dubio an censura sit latæ, vel ferendæ sententiæ, censenda est ferendæ. quia *in pœnis benignior est interpretatio faciendâ, Reg. Jur. 49. in 6.*

Q. 3. *Quanam culpa requiritur ad contrahendam Censuram?*

Resp. Ex communi non contrahitur saltem Censura totalis, nisi ob culpam mortalem, externam, contumaciter admissam contra præceptum Ecclesiasticum. Itaque ad hoc requiritur.

I. Culpam mortalem, ex c. *nemo. c. nullus. II. q. 3.* quia Censura est gravis pœna, cum privet magnis bonis spiritualibus. Pœna autem debet

bet esse commensurata culpæ; aliàs esset injusta, ex c. 5. de pœnis, in 6. ubi jubetur, ut Judex pœnam metiatur ex culpa. At peccatum veniale est culpa levis in suo ordine, seu in ordine ac linea peccati.

Dixi, *totalis*. Nam secundùm multos Censura partialis, ut suspensio ab aliquo actu officii ad breve tempus, item excommunicatio minor, non necessariò gravem culpam supponit.

2. Ut sit externa, & quidem mortalis secundùm opus externum: quia nulla Censura fertur propter solam internam pravam operantis voluntatem; nam hoc non requiritur ad rectum regimen Ecclesiæ saltem ordinarium, & Ecclesia non fert Censuram nisi de iis, de quibus judicare potest: Ecclesia autem non judicat de merè internis in foro externo c. 33. de Simon.

Item actus peccati debet esse completus ac perfectus in sua specie morali, & habere eam malitiam, quæ sub Censura prohibetur. Quia lex humana non obligat nec operatur ultra intentionem superioris verbis expressam, cum non aliter proponatur subditis; & in odiosis stricta debet esse interpretatio. Ob eandem rationem requiritur effectus completus, quem legislator intendit sub Censura prohibere, nisi aliud in lege exprimat. Hinc qui animo occidendi, alterum graviter vulneravit, non incurrit excommunicationem contra homicidas latam, nisi mors sequatur: quia Superi-

Or

ortunc non vult punire peccatum, nisi positâ tali conditione effectûs secuti. Unde quis à peccato præterito, v. g. vulneratione, justificatus per Contritionem vel Sacramentum Pœnitentiæ, potest contrahere excommunicationem in statu gratiæ; nam licet justificatus sit, dignus est pœnâ ob culpam sub Censura prohibitam debitâ.

Dixi, nisi aliud &c. nam c. 1. de homicid. in 6. Mandans aliquem occidit per assassinos excommunicatur, quamvis mors non sequatur. Item in Censura lata contra facientes, non comprehenduntur consulens, mandans, approbans, &c. nisi exprimantur: quia lex pœnalis, utpote odiosa, non extenditur ultra proprietatem verborum.

3. Ut sit contra præceptum Ecclesiasticum, & cum aliqua contumacia: nam Censura est pœna Ecclesiastica constituta in eos, qui sunt contumaces contra Superiorem Ecclesiasticum, ut coerceantur & corrigant. Ad hanc autem contumaciam sufficit contemptus virtualis & interpretativus auctoritatis Ecclesiæ sub pœna præcipientis; qualem habere censetur, qui sciens præceptum Ecclesiæ annexam habens Censuram, tamen illud violat, juxta illud Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus.*

Hinc ex communi sent. ob peccatum merè præteritum non potest ferri Censura, nisi aliquo modo pendeat in futurum, vel quia reus in eo perseverat, vel ut cogatur scandalum tollere

tollere, vel injuriam resarcire per debitam satisfactionem. Alioqui Censura non esset medicina, sed mera vindicta.

Porro licet culpa aliena sufficiat ad Suspensionem & Interdictum, requiritur tamen propria ad Excommunicationem subeundam, ex c. 5. de sent. excom. in 6. cum excommunicatio sit gravissima pœna.

Q 4. Quenam excusant à Censura gravi?

Resp. Excusat 1. Id omne, quod excusat sive à peccato mortali, ut defectus advertentiæ sufficientis, levitas materiæ; sive ab observatione præcepti Ecclesiastici, ut impotentia moralis, cum scilicet non potest servari sine gravi damno, quo cum ordinariè præcepta Ecclesiæ non obligant: quia Censura non fertur nisi ob transgressionem culpabilem præcepti Ecclesiastici, contumaciter admissam. Excipe, nisi metus gravis directè incuteretur in contemptum Religionis aut Ecclesiasticæ potestatis: nam tunc etiam cum periculo mortis tenetur quis servare talem legem. Ita communis.

2. Ignorantia invincibilis etiam solius legis Ecclesiasticæ, sive ea sit facti, sive Juris excusat: quia hæc excusat à culpabili transgressionem legis Ecclesiasticæ, & impedit contumaciam ac voluntarium circa id quod ignoratur. At non excusat ignorantia vincibilis etiam, non affectata, si sit crassa vel supina, hoc est, orta ex eo quòd quis nullam adhibuerit diligentiam ad sciendum id quod scire poterat & debe-

debebat, exc. 2. de constit. in 6. Ubi Bonifac. VIII. ait: *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* nam ex tali ignorantia peccans, virtualiter ac indirectè, ideóque sufficienter contumax est: quia negligit culpabiliter scire legem aliás publicam, & quæ semper ex se admonet.

Si tamen Censura lata sit contra scienter, consultò, temerario ausu facientem aliquid, vel præsumptem facere; tunc ab eá excusat omnis ignorantia, etiam vincibilis non affectata: nam non dicitur scienter, ausu temerario, legem violare, qui eam ignorat; & hæc verba in rebus odiosis sunt strictè accipienda. Secùs, si ignorantia sit affectata; nam hæc æquiparatur certæ scientiæ; & auget culpam, quia includit majorem affectum peccandi, contemptum legis, magnam temeritatem, præsumptionem, scientiam periculi directè voliti, contumaciam, & intentionem saltem implicitam ac virtualem faciendi id quod lege prohibetur. Item si quis suspicans aut dubitans de Censura vel factò, non inquirat, & faciat contra legem, contrahit Censuram: quia tunc talis habet satis contumaciæ & præsumptionis ad talem Censuram, censeturque legem ac Censuram contemnere. An autem ignorantia invincibilis solius Censuræ, excuset ab ea contrahenda, convertitur. Covar. & alii negant; voluntque ad Censuram con-

tra-

trahendam sufficere cognitionem, vel ignorantiam graviter culpabilem legis Ecclesiasticæ: quia tunc violatur lex Ecclesiastica impunitabiliter ad gravem culpam, ideoque cum contemptu virtuali & interpretativo sufficiente ad contumaciam, & proinde ad censuram contrahendam; & quia Censuræ non sunt tantum Medicinæ & admonitiones ad præcavendam culpam, sed etiam ad emendandum reum, & cogendum ad satisfactionem debitam.

Alii plures docent ignorantiam invincibilem solius Censuræ excusare ab omnibus Censuris, etiam Papæ & Juris communis. Sylvest. Soto, Navar. Suarez, Sanchez, Layman, Bonac. &c. quia Censura ex natura rei requirit peculiarem modum contumaciæ & inobedientiæ: eo quod ordinetur per se primò ad avertendum, vel ad emendandum delictum peculiari modo, scilicet sub illo peculiari & rigoroso modo præcipiendi sub comminatione Censuræ: hic autem peculiaris modus contumaciæ ac inobedientiæ non invenitur in eo, qui invincibiliter ignoravit Censuram, quamvis legem noverit. Alii id restringunt ad Censuras latis per statuta particularia Ordinariorum, ex cap. 2. cit. *de constit. in 6.* Sed hæc sententia videtur minus probabilis: quia ex natura rei non est minor ratio quoad hoc de legibus Pontificiis, quàm de statutis Ordinariorum; & cap. cit. nihil probat: quia loquitur de ignorantia statuti, non autem solius Censuræ:

ræ: qui autem scit statutum, sed ignorat Censuram, non potest dici propriè & simpliciter ignorare statutum.

3. Non contrahitur Censura quando est invalida, ut patet, cum nulla sit.

Q. 5. *Quandonam Censura est invalida?*

Resp. Censura nulla est. 1. Defectù jurisdictionis, cum scilicet ferens Censuram caret jurisdictione, vel eam habet legitimè impeditam per aliquam Censuram, aut suspensam per legitimam appellationem, cum nempe ante sententiam absolutè latam reus appellavit ad Superiorem, ex c. 40. *de appellat.* Si vero appellatio fiat post latam sententiam, vel post contractam Censuram à Jure, valet Censura & servari debet, c. 20. *de sent. excom. in 6.* quia Censura lata executionem secum trahit, ex c. 53. *de appellat.*

2. Defectù ordinis substantialis Judicii, ut si aliqua monitio non præcessit: nam ut Censura ab homine per sententiam particularem infligenda feratur validè, præcedere debet una saltem monitio, c. 48. *de sent. excom.* & c. 9. *eod. tit. in 6.* quia non est contumax contra Ecclesiam, nisi qui præcedente monitione & comminatione Censuræ obedire renuit. Ut autem validè feratur & contrahatur Censura à Jure, vel ab homine per sententiam generalem contra actum futurum, non requiritur alia monitio quàm promulgatio ipsius legis vel sententiæ: lex enim & statutum, cum
sint

sint publica & permaneant, semper satis per se
monent. ex c. 26. *de appellat.* idem est de sen-
tentia non illativa Censuræ, sed declaratoria
tantum; nam absque alia monitione declarari
potest Censura contracta; modò prius citatâ
parte de crimine juridicè constet: aliàs nulla
esset declaratio, quia contra partem inauditam
nihil potest in iudicio definiri, c. 1. *de causâ
possess.*

3. Defectu culpæ mortalis: quia gravis pœ-
na non potest irrogari ab homine ob levem
culpam: nam pœna improporcionata & major
culpâ est evidenter injusta, cum desit æqualitas
actio autem evidenter injusta quoad substan-
tiam non habet vim per se obligandi. Quod
si Censura lata sit ob crimen falsum sed in judi-
cio legitimè probatum, hanc obligare in con-
scientia, docent Richard. Palud. S. Anton. 3. p.
Tir. 24. c. 73. & alii. Econtra Suarez, Layman.
& alii multi contendunt eam reipsâ non con-
trahi in foro conscientiæ & coram Deo; quia
sicut causa est tantum apparens, ita & Censu-
ra; nec potest, nec vult Ecclesia punire inno-
centes. Addunt tamen damnatum teneri se
gerere exterius coram aliis tanquam Censurâ
affectum: quia sententiæ Judicis legitimæ, li-
cet quoad rem injustæ, parere tenetur quan-
tum necessarium est ad amovendum scanda-
lum & tuendam auctoritatem Superioris.
Quare, inquiunt, si actum Ordinis sui publicè
exerceret, peccaret; quia cum scandalo resi-
steret potestati publicè; sed non contraheret

irregularitatem: quia Censura est tantum apprensiva, & sic non violat veram Censuram: non peccaret autem, si actum sui ordinis exerceret privatim & coram iis solis, quibus innocentia eius perspecta est.

Mihi vero videtur non privari quidem participatione communium suffragiorum & orationum; neque etiam privari aperte affirmata ullus autor, ut notat Suarez: quia non est verisimile Deum dedisse Ecclesiae potestatem eam privandi innocentem, cum haec potestas non possit esse in aedificationem, sed solum in destructionem: neque etiam Ecclesia id intendit, cum nec ad bonum commune, nec ad bonum illius qui condemnatur, utile sit. Sed tamen talis revera privatur receptione & administratione Sacramentorum, executione Ordinis, & communione externa cum fidelibus: quia haec omnia ei per sententiam legitimam & justam ex parte actionis seu Judicii prohibentur, cui sententiae legitimae parere tenetur in foro conscientiae, & debet hoc incommodum pati propter bonum commune postulans executionem ordinis ac sententiae legitimae, & obedientiam Superiori iuste ac legitime praecipienti. Et haec prohibitio non habet tunc rationem poenae proprie dictae, quae semper supponit culpam; sed poenae improprie dictae, quae est incommodum propter bonum commune inflictum: unde etiam tunc non erit Censura strictè dicta, sed late sumpta pro prohibitione legitima & obligante. Quod
con-

confirmo auctor. S. Thomæ, qui in 4. dist. 18. q. 2. a. 1. quæst. nunc. 4. ait excommunicationem latam per sententiam, quæ nulla non est, habere effectum suum, & debere excommunicatum humiliter obedire. Sententia autem, de qua agitur, non est nulla, cum in suo foro iusta & legitima sit. Unde inferius S. Doctor de hac specie loquens vocat eam Censuram ex debita causa ex parte Censuræ, non verò ex parte ejus cui imponitur. *Sicut, inquit, cum aliquis pro falso crimine in iudicio probato excommunicatur: & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum.* Et in solutione objectionum ait non esse inconueniens ut innocens & inuitus aliquando priuetur per modum pœnæ auxiliis externis, quibus per Ecclesiam iuari potest ad salutem. Quare si violaretur ista Censura, videtur quod contraheretur irregularitas, quia non est Censura apparens tantum; sed est vera & iusta prohibitio Superioris, cujus violatio meritò punitur irregularitate.

Cæterum in dubio Censuræ, constat hanc seruari debere etiam in foro conscientie, donec à Superiore declaretur irrita, vel tollatur. Quia in dubio favendum & obediendum est Superiori habenti Jus ferendi Censuras. Et in dubio tutior pars eligi debet.

Sed an omnis Censura iniusta est etiam nulla?

Resp. Neg. Nam iniusta est Censura, quæ

Pp 2

noti

non fertur ex amore Justitiæ, sed ex odio, invidia, vel vindicta privata; vel quæ ab homine fertur, accidentario Juris ordine sine necessitate prætermisso, v. g. sine trina monitione, sine scriptura vel expressione causæ; & tamen valida est ac ligat etiam in conscientia, si post unam monitionem à legitimo Superiore ob crimen verum feratur. Nam tunc nihil essentialiale deest ad ejus valorem, & accidentium defectus non tollit substantiam rei, nec proinde ejus effectum primum. Imo rata est Censura quoad prohibitionem & servanda, etiam si feratur ob crimen falsum sed in judicio legitime probatum, ut dixi, & opus est absolute. Quare utraque Censura licet injusta, timenda est. *Sententia Pastoris sive justa, sive injusta sit, timenda est.* ait S. Gregor. Homil. 6. in Evang.

Not. Ut Censura ab homine per sententiam particularem licite feratur, necesse est 1. ut fiat trina monitio cum suis intervallis, ita ut una præcedat aliam duorum saltem dierum spatio, c. 9. de Sent. excom. in 6. Tamen ex urgenti causa sufficit una pro tribus cum intervallis, antequam excommunicetur homo; vel etiam sine intervallis si necessitas exigat, v. g. moneo te semel pro tribus vicibus, ibid.

2. Ut fiat in scriptis, & causa Censuræ exprimat, tradaturque reo petenti exemplum hujusmodi scripturæ infra mensem, c. 1. eod. tit.

Ad Censuram verò à Jure sufficit ut lex seu statutum sufficienter promulgatum sit. Si tamen

men sit ferendæ sententiæ, ut hæc feratur, requiritur citatio rei & condemnatio juridica; nec debet infligi reo etiam convicto & manifesto, nisi prævia monitione, & quidem per se loquendo trina, ex c. 26. *de appellat.* Quod si sit *lata sententiæ*, ut declaretur contracta, requiritur ut citatâ parte de crimine juridicè constet.

Q. 6. Quinam possunt ligari Censura?

Resp. Ut quis ligetur Censura, ex communi, necesse est 1. ut sit viator, quia hic solus est capax emendationis, subjectionis & contumaciæ: quod requiritur ad subeundam Censuram. Cum autem hæretici mortui dicuntur posse anathematizari, tunc anathema sum tur pro declaratione aliquem alienum ab Ecclesiæ Communione decessisse. Potest etiam mortuus excommunicari indirectè, quatenus Ecclesia potest ad aliorum terrorem præcipere vivis, ut illum sacra sepultura, publicis precibus & sacrificiis privent. Dicitur vero absolvi, dum Ecclesia concedit facultatem eum sepeliendi, & offerendi pro eo suffragia publica.

2. Ut sit baptizatus; quia nemo fit subditus Ecclesiæ nisi per baptismum. Ex Trident. sess. 14. c. 2. ibi: *Cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi januam fuerit ingressus. Quid enim mihi, inquit Apostolus, de iis, qui foris sunt, iudicare?*

3. Ut sit rationis usu prædictus, aliàs non esset culpæ & emendationis capax. Impu-

beres autem adulti possunt ligari Censurâ, & reipsâ incurrunt excommunicationem ob ingressum in Monasteria Monialium, ex Trid. sess. 5. c. 5. & ob percussionem Clerici c. ult. de sent. excom. Item Interdictum in totum populum. Ergo etiam alias incurrunt, exceptis Censuris ab homine latis. Ebrius verò afficitur Censura ob delictum in ebrietate commissum, & antea sufficienter prævisum.

4. Ut sit subditus ligantis, ex c. 21. de sent. excom. quia potestas ferendi Censuras pertinet ad Jurisdictionem coercitivam, quæ non potest exerceri nisi in subditos; subiectio enim & Jurisdictio sunt correlativæ. Peregrinus autem delinquens in alieno territorio, incurrit Censuras ibi latis per modum statuti, ex c. 14. de foro compet. quia, ut alias dixi, peregrini subjiuntur legibus territorii in quo versantur, ratione suæ præsentis in illo. Si verò Censura lata sit per modum sententiæ, non obligat nisi personas, quas directè respicit. Econtra subditus non incurrit Censuram latam per modum statuti, si contra illud agat extra Diocesim ligantis, c. 2. de constit. in 6. nam statutum afficit solum territorium, pro cuius recta gubernatione fertur, nec extrailud obligat. Secus, si Censura lata sit per sententiam vel præceptum transitorium; nam ligat subditos extra territorium delinquentes, quia personas directè ac secundum se spectat, ideòque illas afficit ubicumque existant: in quo differt à statuto, quod spectat territorium
seu

seu personas existentes in territorio. Hinc si Episcopus Clerico peregrinaturus ludum alearum prohibeat sub poena suspensionis, hic eam incurrit extra Diocesim ludens; quia nempe sententia & præceptum immediate afficit personam, eique cohæret, ubicumque sit: *ita communis Suarez, Sayr. Layman, Bonac. &c.*

Q. 7. Quinam possunt ferre Censuras?

Resp. Omnis & solus Superior Ecclesiasticus, habens in foro externo Jurisdictionem ordinariam vel delegatam. Ex Matth. 16. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis.* & Matth. 18. *Quaecumque alligaveris super terram, erunt ligata & in Cælo, &c.* Ubi Prælati Ecclesiæ Apostolorum Successoribus datur potestas omnis expediens ad bonum animarum & rectum Ecclesiæ regimen, ad quod pertinet potestas non solum ferendi leges, sed etiam coercendi, corrigendi & puniendi rebelles ac contumaces, eosque privandi bonis communibus.

Ordinariam potestatem ferendi Censuras habet Papa, & Concilium Generale in omnes baptizatos, Episcopus in suos Diocesanos, Concilium Provinciale in suam Provinciam. A Papa habent Superiores Ordinum saltem Generales & Provinciales, vel etiam Superiores locales secundum cujusque constitutiones; non item Parochi. Delegatam habent omnes & soli Clerici, quibus fuit legiti-

mè concessa ab habente ordinariam. Femina autem saltem Jure Ecclesiastico est incapax Jurisdictionis spiritualis, ideóque Censuræ ferendæ.

Q. 8. Quinam possunt absolvere à Censuris?

Resp. 1. Censura, ab homine, vel quævis alia reservata non potest tolli, nisi ab eo qui eam tulit, vel ab ejus Superiore, aut Successore vel delegato: quia ejus est absolvere, cujus est ligare. Archiepiscopus autem non potest à Suffraganeorum Censuris absolvere, nisi in casu appellationis aut visitationis.

Ab excommunicatione non reservata, nec ad forum contentiosum deducta potest absolvere quilibet Sacerdos habens potestatem absolvendi à peccatis mortalibus, ex consuetudine recepta, & exc. *nuper. de sent. excom.* ibi: *Quia conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Excommunicatio autem à Jure non est reservata, nisi reservatio exprimat in Canone vel Statuto. Suspendio verò & Interdictum saltem locale & generale personale, ex communi, censentur reservata Superiori, ita ut nullus Sacerdos possit ab eis absolvere sine potestate à Superiore accepta. Sunt tamen qui dicunt Confessarium posse ex concessione Ecclesiæ absolvere à suspensione, & interdicto particulari, cujus non est conscius pœnitens, & ad hoc valere formulam usitatam.

Resp.

Resp. II. Ex Trident. sess. 24. c. 6. Episcopi possunt absolvere subditos suos ab omnibus Censuris etiam Papæ reservatis, contractis ob delictum occultum, nec deductis ad forum contentiosum, excepto homicidio voluntario. Possunt etiam absolvere ab omnibus aliis subditos, quibus non est possibilis moraliter recursus ad Papam, ut sunt mulieres, pueri, senes, infirmi, & alii, quorum est legitimum impedimentum, c. 13. & c. 58. *de sent. excom.* Si tamen impedimentum non sit perpetuum, juramentum ab absolvendis exigatur quòd cessante impedimento ad Papam aut ejus legatum recurrant, *ibid.* Quòd si non recurrant, recidunt in similem Censuram, c. 22. *de sent. excom. in 6.* sed aliqui dicunt hanc obligationem abrogatam esse in Gallia & aliis locis à Roma valde remotis.

Resp. III. In Jubilæis solet ampla potestas circa Censuras & casus reservatos concedi. Circa quod observanda sunt sequentia.

1. Quando conceditur facultas generalis absolvendi à Censuris Papæ reservatis, etiam in Jubilæo, non ideo datur potestas absolvendi à Censuris contentis in Bulla Cænæ, ubi illa viget nisi specialiter exprimat: quia hæ sunt specialiter reservatæ? Specialia autem non continentur in concessione generali, nisi exprimentur.

2. Qui habet potestatem absolvendi a Casibus Papæ reservatis, habet etiam potestatem absolvendi à Censuris eidem reservatis: quia

casus non sunt reservati Papæ, nisi ob Censuram annexam. Qui autem potestatem obtinuit circa Casus Episcopo reservados, non potest idcirco à Censuris Episcopo reservatis absolvere: quia cum soleant Episcopi aliquos sibi Casus reservare nulli Censuræ annexos, in se fit ut casus & Censuræ Episcopales sint dueres distinctæ, nec unum in alio includatur.

3. Absolutio in Jubilæo data rectè disposito habenti intentionem illud lucrandi, & implendi conditiones, etsi postea sua negligentia vel ob aliud impedimentum non lucretur, tollit Censuram & reservationem: quia absolutio fuit absoluta, non conditionata, ut constat tum ex verbis & intentione absolventis, tum ex potestate absolvendi à Censuris & casibus reservatis, quæ non pendet à conditione quòd poenitens reipsa lucrabitur Jubilæum; sed datur simpliciter & absolutè pro tempore Jubilæi respectu poenitentium volentium illud lucrari. Secus, si confessus sit sine intentione suprascripta: quia hæc potestas datur solum in ordine ad Jubilæum, nam Pontifex non intendit dare potestatem absolvendi à reservatis nisi respectu eorum qui volunt sincerè Jubilæum consequi, ideòque opera præscripta implere. Unde debet postea à Censuris & peccatis reservatis absolvi ab eo qui potest extra Jubilæum.

Dixi, *rectè disposito*. nam hæc gratia non conceditur nisi verè contritis.

Resp. IV. In articulo mortis *Omnes Sacerdotes*

tes quoslibet Pœnitentes à quibusvis peccatis & Censuris absolvere possunt. Ita Trident. sess 14. c. 7. Multi tamen putant hoc esse restringendum ad Censuras, quæ obstant susceptioni Sacramentorum, & sepulturæ Ecclesiasticæ, ut excommunicatio & interdictum, non autem suspensio; quia hæc facultas conceditur, ne hac occasione aliquis pereat, ibid. Ergo, inquiunt, Ecclesia non intendit dare omnibus potestatem absolvendi ab iis, quarum occasione non impediretur consecutio gratiæ, qualis est suspensio ab Ordine, Officio, vel Beneficio.

Porro Sacerdos debet prius reum obligare ad restitutionem debitam, vel si non possit tunc restituere, ad eâ onerandos hæredes suos actu publico; aut si neutrum possit, adjurandum se satisfacturum, cùm primum poterit.

Item Sacerdos, qui extra articulum mortis non habet potestatem absolvendi à Censuris, monere debet moribundum ut, si convalescat, se sistat & submittat Superiori, sub pœna reincidentiæ, hoc est incurrendi in similem Censuram, c. 22. de sent. excom. in 26. & hoc onus sistendi se Superiori debet ei sub juramento imponi, ex c. 58. de sent. excom. quod exigitur à Pœnitente, non ut iterum absolvatur, cùm validè fuerit absolutus; sed ut Superior correctionem, ac remedia idonea adhibeat, & satisfactionem imponat, prout judicaverit. Nominè Superioris huc intelligitur quivis ha-

bens

bens potestatem Ordinariam, aut delegatam absolvendi à Censuris extra articulum mortis.

Q. 9. *Quenam notanda sunt circa absolutionem à Censuris ?*

Resp. *Sequentia.* 1. *Quamvis cessante contumaciâ, & reo converso Superior debeat absolvere à Censura, cum sit poena medicinalis: tamen Censura reipsâ non tollitur nisi per absolutionem, ex Matth. 18. Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo. scilicet donec solveritis, & ex c. 28. & aliis de sent. excom. nam non potest Censura dissolvi, nisi eâ auctoritate qua contracta est. Hinc Alex. VII. damnavit hanc propos. Quoad forum conscientiae, reo correcto ejusque contumaciâ cessante, cessant Censurae. Nam etsi contumacia sit causa Censuræ, non est tamen causa durationis ejus: sicut culpa est causa poenæ, & tamen hæc durat sublatâ culpâ.*

2. *Absolutio à Censuris ex natura rei non requirit certa verba, cum non sit Sacramentalis; sed potest dari validè per quolibet signa illius sufficienter expressiva. In foro tamen externo servanda est forma in Ritualibus præscripta. In foro conscientiae adhibetur hæc formula pro excommunicato: Ego te absolvo à vinculo excommunicationis, quam incurristi propter tale factum, v. g. hæresim. & restituo te communioni, & unitati fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesie, in nomine Patris. &c. Pro suspenso: Ego absolvo te à vinculo suspensionis, quam*

quam propter tale factum, incurristi, & restituo te executioni Ordinum & Officiorum tuorum, vel Beneficiorum, in nomine Patris, &c.

3. In dubio Censuræ contractæ dari debet absolutio ad cautelam, sic: *Absolvo te à Censura excommunicationis, si eam incurristi ob tale factum.* Imò etsi nulla sit suspicio Censuræ contractæ, datur absolutè absolutio à Censuris ante absolutionem à peccatis ad vitandam irreverentiam, si fortè pœnitens occultâ Censurâ affectus sit, hoc modo. *Dominus noster Jesus Christus te absolvat; & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indulges.* Deinde ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, &c. Rituale Roman.

4. Valida est, licet illicita, absolutio ab habente potestatem ordinariam data absenti, vel invito & malè disposito: quia Censura est solum pœna, quæ potest à Superiore ad libitum validè auferri.

5. Qui pluribus Censuris est astrictus, potest absolvi ab una, remanentibus aliis etiam similibus, c. 27. de sent. excom. nam inter eas non nescit necessaria connexio. Potest autem quis subjici multis Censuris etiam ejusdem speciei ob plura crimina, ex eod. cap. vel ob idem pluries commissum; nam plura delicta possunt pœnis ejusdem rationis puniri; sic qui excommunicatus est ob percussione Clerici, plures aliàs excommunicationes incurrit, si pluries eundem Clericum vel alium percutiat.

6. Po-

6. Potest dari à Superiore absolutio ad rein-
cideniam, hoc est, sub certo onere, quo non
impleto intra tempus præfinitam Censura re-
viviscat, seu delinquens similem Censuram
contrahat. Item potest dari pro certo tan-
tùm actu & tempore, quo transacto, Censura
habet omnem suum effectum; vel sub condi-
tione de futuro libero, cum sit actus jurisdic-
tionis externæ, qui pendet à voluntate Supe-
rioris, quamvis hoc ordinariè non expediat,
nec fieri debeat, cum non sit in Ecclesia usure-
ceptum.

Dum aliquis est excommunicatus ob inju-
sticiam aut scandalum, in neutro foro licet eum
absolvere, nisi prius satisfecerit parti, & scan-
dalum sustulerit: aut si non possit, debet prius
dare idoneam cautionem, quòd satisfaciat
quamprimum. Quòd si postea non satisfa-
ciat, cum primum commodè poterit, excom-
municationem denuò contrahet, c. 22. *de sen-
tent. excom. in 6.*

8. Si is, qui Sacerdoti potestatem absolven-
di à Censuris habenti bonâ fide confitetur, ob-
liviscatur peccatum cui Censura annexa est;
secundùm multos: tollitur Censura, modò
Censurarum absolutio sit terminis generali-
bus data. Nam tunc Confessor utitur genera-
liter facultate absolvendi ab omnibus Censuris
quam habet, vultque omnes auferre quantum
potest.

9. Qui absolutus est, tantùm in foro con-
scientiæ, à Censura notoria, ita se gerere debet.
exte-

exteriùs ac si non esset absolutus; potestque conveniri coram iudice, & ab eo cogi ad subeundam omnem pœnam Censuræ annexam: quia absolutio data tantùm pro foro conscientia non habet effectum nisi coram Deo.

10. Invalida est absolutio per vim vel metum injustum extorta etiam à tertio, imò extorquens contrahit excommunicationem, c. unico 1. de iis quæ vi, &c. in 6. ex Conc. Gener. Lugdun. Item nulla est, si extorta sit per dolum versantem circa causam finalem; quia Superior non vult absolvere, nisi ob causam sibi propositam: quæ tunc non subsistit, nec proinde subest voluntas absolvendi: nam sublato motivo seu objecto formali volitionis non est volitio.

CAPUT II.

De Excommunicatione.

Q. 1. Quid & quotuplex est?

Resp. **Q** Excommunicatio est Censura, per quam baptizatus privatur Communione Ecclesiæ, seu bonis quæ sunt communia inter fideles, quæque pendent à potestate & dispensatione Ecclesiæ, ut sunt Sacramentorum receptio & administratio, Ecclesiæ Suffragia, divina Officia, &c. duplex est major, & minor.

Excommunicatio major, (quæ sola venit nomine excommunicationis simpliciter, c. 59. de sent. excom.) est Censura, quâ quis privatur
omni-